

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:  
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam  
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus  
gerendum, disposita**

**Creide, Hartmann**

**Francofurti ad Moenum, 1682**

In die festo Simonis et Judae

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

si soli nobis relicti essemus, propediem nobis noceret. Verum propter custodiam Angelorum, plures sunt nobiscum, quam cum illis, 2. Reg. 6. v. 16. iccirco caveamus ne per peccata & scandala eosdem abigamus. Sicut enim fumus apes, & fœtor columbas abigit, sic & graveolens peccatum S. Angelos, ut Basilus ait. Per pietatem

verò & virtutis studium retinentur, usque ad finem vitæ nostræ, ubi animam nostram portabunt in sinum Abrahæ, Luc. 16. v. 22. donec in die novissimo resuscitati in æternum cum illis futuri, Deum ter sanctum indefinenter celebrabimus.

Largiatur hoc nobis tota SS. Trinitas, Amen.

## IN DIE FESTO SIMONIS ET JUDÆ.

*Evangelium Joh. 15. v. 17. -- 25.*

### EXORDIUM.

**F**uit Ismael, filius Abrahæ, quem ex ancilla Hagar suscepit, derisor. In Hebræo est vox mezachek, quæ idem est ac irridere. Quod verò hoc non puerilis derisio fuerit, inde patet, quia Ismael tum decimum quartum ætatis annum jam superaverat, ut patet ex Gen. 17. v. 24. 25. c. 21. v. 5. præterea Sara ob puerilem risum non petiisset ab Abrahamo, ut eum ædibus suis ejiceret. Hinc nonnulli autumant, quod cum die ablationis Isaac, in magno illo convivio, quod Abrahamus instruxerat, unusquisque utriusque conjugum gratularetur, Ismaelem ignominiose eosdem derisisset. Alii putant, Ismaelem fratri Isaac nomen probrose exhibuisse, quasi ab unoquoque deridendus foret, Isaac siquidem risum notat.

Oprimè omnium Paulus explicat, quid per hoc mezachek intelligatur, nempe persecutio, quæ sarcastico risu & illusionem facta est. Ubi enim laudatus Apostolus, de utroque filio Abrahæ, quorum alter ex ancilla, alter ex libera natus erat, agit, dicit

inter alia, quod qui secundum carnem natus fuerat (Ismael) persecutus sit eum, qui secundum spiritum, (Isaac) Gal. 4. v. 29. quod quasi confirmatio est ejus, quod Angelus Domini, de Ismaele nascendo, Hagar dixerat: Hic erit ferus homo, manus ejus contra omnes, & manus omnium contra eum, Gen. 16. v. 12.

Hæc persecutio & irrissio, quam Isaac sustinuit à derisore Ismaele, typus fuit persecutionis, quam Ecclesia Christi ab hostibus & persecutoribus suis quotidie experiri cogitur, quodque Paulus d. l. expresse memorat, inquit: Quomodo tunc is, qui secundum carnem natus fuerat, perquebatur eum, qui secundum spiritum: ita & nunc.

Hac de re concionatur Christus in prælecto Evangelio, quomodo omnes sui fideles, tanquam filii promissionis, quos de mundo elegit, odium & persecutionem à mundo sustinere cogantur, propter nomen suum. Ubi verò eosdem & consolatur & instruit, quomodo mundi odium

dium & perfecutionem ferre debeant.

Nos methodo noſtræ infervientes, videbimus

- I. Triplicem Querelam.
- II. Triplicem Medelam.
- III. Triplicem Cautelam.

J. J.

### Exegeſis.

**C**Um Patriarcha Jacobus finem vitæ ſuæ imminere animadverteret, accerſitis ad ſe filiis dicebat: Congregamini, ut annunciem, quæ ventura ſunt vobis, in diebus poſterioribus, Gen. 49. v. 1. Pari ratione Servator noſter, paulò antè abitum ſuum Apoſtolos ſuos convocavit, iisdemque annunciavit, quid illis in poſterum eventurum eſſet, nempe odium, invidentia, inimicitia & perfecutiones, ut prælecta Pericope pluribus indicat.

*Querelam mover*

I. *Caritatis raritas.* Ex hac cauſſa ſeverè mandat Chriſtus, inquiens: Hoc præcipio vobis, ut diligatis invicem.

Hoc noſtra ſponte à nobis fieri æquum eſſet, ſumus enim homines, quos fecit Deus ex uno ſanguine inhabitare ſuper univerſam faciem terræ, Act. 17. v. 26. Atqui ut Poeta canit:

- - Sævis inter ſe convenit urſis.

Quodſi igitur bruta animalia, quæ ejusdem generis ſunt, pacem & concordiam colunt: quanto magis noſtrùm erit, qui non modo homines, ſed & Chriſtiani ſumus, quos Deus ad pacem vocavit, ut in una domo, quæ Eccleſia eſt, velut domeſtici Dei pacificè cohabitemus, & concordia ſtudeamus. At plurimi, neglecto hoc

mandato, Diabolo morem gerunt, odio, invidia, iracundia, inimicitia indulgentes, ut Chriſtus ejuſque miniſtri fruſtra ſæpè admoneant. Abundavit enim iniquitas, & refriguit caritas multorum, Matth. 24. v. 12. Omnes, quæ ſua ſunt, quærunt, Phil. 2. v. 21. Jer. 9. v. 5. Hinc non mirum, benedictionem Dei evaneſcere, & maledictionem ſuccedere, juxta illud: Quodſi invicem mordetis & comeditis, videte, ne ab invicem conſumamini, Gal. 5. v. 15. Pfalm. 109. v. 17.

II. *Piorum calamitas.* In prælecto Evangelio Servator diſcipulis ſuis prædicit odium & perfecutiones: Si mundus, inquiens, vos odit, ſcītote, quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuiſſetis, mundus, quod ſuum erat, diligeret &c.

Hoc ipſum in Paradifo cœpit, & continuabitur uſque ad finem ſæculi. Quid accidit pio Abeli? Nonne ab impio fratre Caino trucidatus eſt, quia Dominus ad munera Abelis reſpexerat, ad Cain verò & munera ejuſ non reſpexerat, Gen. 4. v. 4. 8.

Inſpiciſte Patriarchas, quomodo hinc inde circumacti & afflicti fuerint, undè non abs re conſeſſi ſunt, ſe peregrinos & hoſpites eſſe ſuper terram, Hebr. 11. v. 13.

Quantopere Eccleſia Iſraelitica preſſa eſt in Ægypto, ubi Pharaos varias technas excogitavit, quomodo eam ſapienter opprimeret, Exod. 1. v. 22. & c. 5. v. 7. ſeqq. & licet illam Deus forti manu & valido brachio exindè eduxerit, attamen quadraginta annos per deſertum errantes, variis calamitatibus ſubjecti fuerunt, donec Palæſtinam occuparunt. Ubi tamen advarſarii non deſuerunt, qui variis mo-

dis

dis illos afflixerunt, ut libri Judicum & Regum abundè testantur.

Postèa iusto Dei iudicio ob idololatriã, eujus rei facti erant, in captivitate Babyloniam abducti fuerunt, in quã Lxx. annos perseverarunt. Cùm tandem veniam patriam repetendi, & Hierosolymam restaurandi impetrassent, vicinæ gentes ædificationem impeditum iverunt, ut Israelitæ una manu opus facere, & altera telum tenere cogereatur, Nehem. 4. v. 17.

Postèa surrexit Antiochus & alii tyranni, qui populum Dei diris modis persequabantur, & nefariè perimebant, ut Historia Maccabæorum satis indicat.

In N. Test. non melior fors Ecclesiæ affulsit. Christus ipse qui velut Doctor à Deo missus omnibus viam cœli monstrabat, à Judæis odio habitus & persecutione pressus, quin tandem in cruce actus & occisus est. Apostolis Christi idem accidisse novimus. Alii ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt &c. Hebr. 11. v. 36. seqq.

Eusebius memorat, quod decem Romani Imperatores violenter Ecclesiam oppugnaverint, eo fine, ut eam planè delerent, inter quos Diocletianus intra tringenta dies, septendecim Christianorum millia, miserè peremit. Antiochiæ tot martyres fuerunt, ac lapides in mœnibus. Romæ Cœmeterium est, in quo octoginta millia martyrum sepulti sunt. Dux Albanus in Belgio intrà sexennium octodecim millia, & sexcentos Christianos manu Carnificis necari iussit.

Vid. sup. p. 54.

Quod igitur à principio factum, adhuc fit, & fiet usque ad diem novissimum. Requies in cœlis, non in terris. Ibi loco gladii, quo hic restitimus, Eph. 6. v. 13. palmas in manibus portabimus, Apoc. 7. v. 9. lætum illud *trivium* canentes: Ubi mors stimulus tuus? Ubi tua, inferne, victoria? 1. Cor. 13. v. 55. Hæc animo volvamus, si tristior fors nos premat, interea animas nostras in patientia custodiamus, Luc. 21. v. 19. non enim condignæ sunt passiones hujus temporis, ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis, Rom. 8. v. 18.

III. *Persequentium cœcitas*, de qua Servator: Nesciunt eum, qui misit me. Hæc ignorantia affectata est, quæ neminem excusat. Debebant enim scire, quod Christus ipsis roties inculcavit: Si non venissem, ait ille in seqq. & locutus fuisset eis, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Interea Christiani hoc solatium arripiant, si fortè inique condemnentur ab iis, qui notitiam causæ non habent, sed cæco zelo & invidia feruntur, quod morte saltem temporali obeant: sed hostes præcipitant se in æternam mortem, ex quo nulla unquam redemptio, Psalm. 49. v. 15. Homicidæ enim Regnum Dei non hæreditant, Gal. 5. v. 20.

Ejusmodi cæci homines adhuc hodiè sunt Pontificii, qui Evangelicam veritatem sustinere nolunt, ideoque igne & ferro persequuntur omnes, qui eam profiteantur. Hoc nulla ex alia causa faciunt, quam quia Deum, & Filium ejus Jesum Christum nesciunt. Ideò vicissim afflictionem reddet iis Deus in revelatione Domini Jesu de cælo, in flamma ignis daturus vindictam

xxxx

iis,

iis, qui non noverunt Deum, & qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi, 2. Thell. 1. v. 8.

Inter nos ejusmodi ignorantie fratres reperiantur, qui neque Christum, neque qui misit illum, norunt. Hi sunt semper discentes, & nunquam ad agnitionem veritatis pervenientes, 2. Tim. 3. v. 7. sed manent ut equus & mulus, quibus non est intellectus, Psal. 32. v. 9. & quando quærantur de Christo, de SS. Trinitate, aut aliis fidei articulis, mera illis proverbia sunt, Joh. 16. v. 29. nihil horum intelligunt, & verbum absconditum est ab eis, Luc. 18. v. 34.

Olim cum Paulus Athenas perlustraret, videns cultus eorum divinos, invenit & aram, in qua scriptum erat *Θεὸς ἀγνώστῳ*, ignoto Deo, Act. 17. v. 23. hæc ara hodie tenus exstat in medio Christiano orbe: paucissimi agnoscunt Deum, & licet confiteantur, se nosse Deum, tamen factis negant, Tit. 1. v. 16. qualem illi aliquando excusationem habebunt de peccato suo?

Qui igitur nocet, noceat adhuc: & qui in sordibus est, sordescat adhuc: & qui justus est, justificetur adhuc, Apoc. 22. v. 11. die novissimo videbimus, quid intersit inter justum & impium: & inter servientem Deo, & non servientem ei, Mal. 3. vers. ult. Rom. 2. v. 7. 9.

### De Secundo.

Sequitur *Medela*, quæ fuit

I. *Ex Christi conformitate*, quæ nobis per crucem cum eo intercedit, hinc Servator: Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit.

Intueamur modò penitius curriculum vitæ Servatoris nostri, à nativitate usque ad beatam expirationem, & deprehendemus, nihil aliud quam perpetuam passionem & afflictionem fuisse. In stabulo nascebatur, mater in scæno jacebat, Filius in præsepio: Mox Herodes insidias vitæ ejus struit, ad quas effugiendas in Ægyptum se recipere cogitur, Matth. 2. v. 14. Reversus Nazarethæ in magna pauperie educatur, ut ipse conqueritur, Matth. 8. v. 20.

Sub initium Ministerii sui à Diabolo in eremo valdè tentatus est, Matth. 4. v. 2. non diu post conterranei ejus duxerunt illum, usque ad supercilium montis, supra quem civitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent eum, Luc. 4. v. 29. Quoties Judæi ipsi insidiati sunt? quoties deliberarunt quomodo eum è medio tollerent? Donec tandem permissu Dei, eum ceu maleficum ceperunt, flagellarunt, spinis coronarunt, & tandem in crucem elevarunt & necarunt, ut pluribus ex historia passionis constat.

Quod si igitur propter Evangelicam veritatem in exilium acti, facultates vestras relinquere cogimini, cogitate quæso, quod & Servator vester ante vos odio habitus & propulsus sit, è Nazarethæ in Ægyptum, Matth. 2. v. 13. è Judæa in Galilæam, Joh. 4. v. 11. & sic ulterius.

Si blandis verbis lætamini ex corde hypocritico, scitote, ipsi idem accidisse, ubi à Juda osculo nefarie proditus est, Matth. 26. vers. 29. Si bona vestra rapiuntur, ut non vobis reliquum maneat, quo nuditatem operiatis, perpendite, quod &

tunica

tonica fua & veftibus fpoliatus fit, Matth. 27. v. 27.

Quod fi ab amicis veftis derelinquimini, in mentem vobis revocate, quod & Chriftus à propriis difcipulis defertus fuerit, quin & qui edit panes ejus petiit eum calce, Pfal. 41. v. 10. Matth. 26. v. 23.

Pudeat ergò membrum deliciarum fub capite fpinis coronato, ut Bernhardus ait. Secutus eft olim armiger Jonathanem antecelforem, 1. Sam. 14. v. 4. Milites Abimelechum, Jud. 9. v. 48. & populus Johannem per torrentem, 1. Mac. 16. v. 6.

Quidni potius Chriftum fequeremur, qui eo fine nobis præceffit in perfecutione, & reliquit exemplum, ut fequamur veftigia ejus, 1. Petr. 2. v. 21. Hebr. 12. v. 2.

Urias Hethæus volebat ingredi domum fuam, ut comederet & biberet, & dormiret cum uxore fua, quia Dominus & Dux ejus Joab, & fervi Domini (fui fuper faciem terræ manebant, cum hoftibus dimicaturi, 2. Sam. 11. v. 11.

Nos omnes quoque milites fumus sanctæ Crucis, iccirco libenter communicemus paffionibus ejus, ut & in revelatione gloriæ ejus gaudeamus exultantes, 1. Petr. 4. verf. 13. Quod quidem ipfa neceffitas requirit: Qui non acceperit crucem fuam, & fequitur me, non eft me dignus, Matth. 10. verf. 30. Luc. 9. verf. 23. Quilibet proinde cum Elia dicat: Non melior fum, quam patres mei, 1. Reg. 19. v. 5. Si patremfamilias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus? Matth. 10. verf. 24. Joh. 13. v. 16. Verùm egregia viciffitudo aliquando fequetur: Nam fi compatimur Chrifto, & con-

glorificabimur, Rom. 8. v. 17. 2. Tim. 2. v. 11. 12.

II. Ex divine electionis firmitate. Si de mundo fuiffetis, inquit Servator, mundus quod fuum erat, diligeret. Quia verò de mundo non eftis, fed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Hinc elucefcit, quod omnis ærumna & tribulatio, cui in hoc mundo fubjecti effe cogimur, infallibile indicium fit, quod nos Deus elegerit, & in filios & hæredes adoptaverit. Licet enim peregrinantium inftar in mundo erramus, attamen per Chriftum nobis mundus crucifixus eft, & nos mundo, Galat. 6. verf. 14. Tum & alius fpiritus in nobis habitat, 1. Corinth. 2. verf. 12. & doctrinam, cui nos adharemus, mundus non cognofcit, 1. Corinth. 1. verf. 21. ideoque nulla pax & concordia inter nos coli potest, Pfal. 94. v. 20.

Mundus diligit, quæ de mundo funt, & contra odio habet omnes, qui mundo fe conformare nolunt. Id admirantur, quod non concurrant fecum in eandem luxuriæ diffolutionem, 1. Petr. 4. verf. 4. Hinc vox Epicureorum: Circumveniamus justum, quoniam inutilis eft nobis, Sap. 2. v. 12. 16.

Quando igitur eò res redit, ut mundi, & omnium qui de mundo funt, odium & perfecutionem devorare cogaris, noli propterea animum deſpondere, quia infallibile id indicium eft, te non de mundo eſſe, fed in ovile Chrifti pertinere. Nam, ut Ignatius: Chriftianus dum odio habetur à mundo, diligitur à Deo, & Paulus: Si adhuc hominibus placerem, Chrifti ſervus non eſſem, Gal. 1. v. 10.

Magnates atque Principes in more habent, ut ministros suos certo colore vestiant. Nos Christiani quoque peculiarem colorem habemus, qui est crux, Gal. 6. v. 7. quando igitur illa à Deo visitaris, collige hinc, te in numero ministrorum ejus esse. Quos enim mundus ut abortivos efficit, hos Christus, ut filios carissimos suscipit, dicente Cyrillo, Marth. 5. v. 11.

III. *Ex causa bonitate.* Sed hæc omnia, inquit Christus, facient vobis propter nomen meum. Magnum id est solatium. Si enim quis patiatui, non quasi homicida, aut fur, aut maleficus, aut curiosus alienarum rerum, sed ut Christianus, non est quod erubescat, glorificat quippe Deum in isto nomine, 1. Petr. 4. v. 15. 16.

Hinc omnes Sancti miseras suas æquo animo tolerarunt. Moses magis elegit affligi cum populo Dei, quam temporalem peccati habere jucunditatem, Heb. 11. v. 25.

Apostoli ibant gaudentes à conspectu Concilii, quoniam digni habiti essent, pro nomine Jesu contumeliam pati, Actor. 5. vers. 41.

Babylas Episcopus Antiochiæ, qui sub Imperatore Decio martyrio coronatus est, catenas quibus constrictus erat, tanti fecit, ut petierit, ne sibi demerentur, quo in hoc ornatu, coram tribunali Christi comparere possit.

Ita navate operam, Vos mei! ut inreptitati conscientia studeatis, & non affliget vos, si fortè ob Evangelicam veritatem persecutionem pati oporteat.

Nam iustus sperat quoque in morte sua, Prov. 14. v. 32.

### De Tertio.

**R**estat *Cautela*, quæ tres complectitur Regulas, ut sunt

I. *Caritatem fove.* Quis quæso est, qui hinc dicit? Hoc mando vobis, ut diligatis invicem. Non Assuerus, qui regnavit ab India usq; Æthiopiã, super centum viginti septem provincias, Esther 1. v. 1. aut alius terrenus Princeps: sed Dominus ipse de cælo, 1. Corinth. 15. v. 47. qui habet in vestimento & in femore suo scriptum nomen: Rex Regum & Dominus Dominantium, Apoc. 19. v. 16. cui Angeli & Archangeli, Dan. 7. vers. 10. imò ignis, grandis, nix, fumus, spiritus procellarum, parere coguntur, Psal. 148. v. Quando magis nostrum erit, ut mandato ejus pie nos subjiciamus. Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu, ad bona opera, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus, Eph. 2. v. 10.

Christus est Magister noster, Joh. 13. v. 14. Pastor noster, Joh. 10. v. 15. & Rex noster, Psalm. 2. vers. 6. quidni velut discipuli Præceptoris nostro obediremus, ceu oviculæ pastorem nostrum sequeremur, & tanquam subditi Regis nostri, mandatum expediremus? imprimis, quia id, quod hic ad Apostolos suos dicit, tam in Veterum quam Novæ Testam. subinde reperitur. In lege dicitur: Diliges proximum tuum, sicut te ipsum, Levit. 13. v. 18. In Prophetis scriptum: Indicabo tibi ò homo quid bonum sit, Mich. 6. v. 5. Quin & in Evangelio exstat: Mandatum novum do vobis

vobis, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos, Joh. 13. v. 34. 35. Apoſtoli quoque nihil ferè aliud faciunt, in omnibus ſuis epiſtolis, quàm quòd dilectionem inculcant, ſicut in ſpecie de Johanne ſcribitur, quod cum annis gravis, non potuerit congregationem fidelium ingredi, ſed ab aliis illatus ſit, nihil aliud ferè inculcaverit, niſi hoc: Filioli diligite vos invicem. Et interrogatus, quare ſemper eadem re-  
 teret? reſpondit: Quia hoc unum, ſi fiat, ſufficit. Omnis enim lex in uno ſermone impletur: Diliges proximum tuum ſicut teipſum, Gal. 5. v. 14. Idèd dicitur, lex Regia, quia omnes Regis cœleſtis ſubditi ad eam obſtringuntur, & qui perficit eam, benè facit, Jac. 2. v. 8. qui verò deſpicit eam, non pertinet ad Regnum Chriſti, ſed homicida eſt, 1. Joh. 3. v. 15. cui aliquando pars erit in ſtagno, ardente ſulphure & igne, quæ mors eſt ſecunda, Apoc. 21. v. 8.

II: *Mundum fuge.* In mundo quidem neceſſariò eſſe cogimur, quia Paradifo propter peccatum exterminati ſumus. Sicut verò viator in diverſorio, in quod divertit, præſente ſuppellectile, menſa, patinis, orbibus, pane, cereviſia &c. ad neceſſitatem ſuam utitur, manè verò omnia relinquit, & iter ſuum continuat: ſic & nos utamur hoc mundo, tanquam non utamur, præterit enim figura huius mundi, 1. Cor. 7. v. 31. Confer 1. Tim. 6. v. 6. 7.

Jonas lætatus eſt ſuper hederâ, lætitiâ magnâ, quæ erat umbra ſuper capite ejus, & radios ſolaris reprimebat: Sed paravis Deus vermẽ ad cenſuram diluculi in craſtinum: & percuffit hederam, & exaruit, Jon. 4. v. 6. 7.

*Mundus quoque eſt tranſitoria* ejusmodi *hederæ*, idèd non diligamus illum, ſed ſemper meminerimus cœleſtis patriæ, ubi πολίτευμα noſtrum eſt, Phil. 3. v. 20. lucen-  
 tes ſicut luminaria in mundo, in medio nationis pravæ atque perverſæ, Phil. 2. v. 15. ut alii id videntes, glorificent Patrem, qui in cœlis eſt, Matth. 5. v. 16.

*Mundus fraudulentus* ille *Laban* eſt, qui mutat mercedem noſtram decem vicibus, Gen. 31. v. 7. tandem mercedem nobis perſolvit ejusmodi moneta, in cujus unâ parte ſculptum: *Mundana voluptas*; alterâ verò: *Inferni anxietas*.

*Mundus induratus* ille *Pharao* eſt, qui cepis & allio nos cibavit, & mannam verbi divini invidet, Exod. 5. v. 2.

*Mundus meretricia* illa *Delila* eſt, quæ amatores ſuos ſopit in gremio voluptatis, quo fit, ut oculos intellectus amittant, nec videant, quæ ad pacem ſuam pertineant, Luc. 19. v. 24. ſed & corpore & anima in temporale & æternum exitium præcipitentur. In mundo enim eſt concupiſcentia oculorum, concupiſcentia carnis, & ſuperbia vitæ; ſi quis igitur mundum diligit, in eo non eſt caritas Patris, 1. Joh. 2. v. 15. 16.

Sicut igitur Angelus juſtum Lothum allocutus eſt: Salva animam tuam, noli reſpicere ad tergum, Gen. 19. v. 17. ſic & nos mundo valedicamus, ſemper recordantes, non eſſe nos de mundo, ſed Chriſtum nos elegiſſe de mundo, ideoque nec ad mundi gratiam vivamus, ſed Chriſti, qui nos elegit, ſervientes ei in juſtitia & ſanctitate, coràm ipſo, Luc. 1. v. 75. Jac. 4. v. 4.

III. Crk-



III. *Crucem tolle.* Christus discipulis suis in prælecto Evangelio de Cruce prædicat, & accuratè ipsis prædicat, quæ illorum in mundo fors futura sit. Id a quo animo audiunt & cogitant, libenter se compassuros, ut & conglorificentur, Rom. 8. v. 17.

Idem nos quoque faciamus. Scimus siquidem, sine cruce & afflictione esse nos non posse in hoc mundo. Omnes enim qui piè vivere volunt in Christo Jesu, persecutionem patientur, 2. Tim. 3. v. 12.

Id omnes sancti ab exordio mundi experti sunt, quorum nullus sine tribulatione fuit: quin potius ærumna illis duplicata est, juxta illud: *Je lieber Kind, je schärfer Ruthe.* Judicia enim Dei à sanctuario ejus incipiunt, Ezech. 9. v. 6. 1. Petr. 4. v. 17. Sic itur ad altra! 2. Cor. 4. v. 17.

Quod si acerbior tibi crux videtur, alios respice, qui & ipsi onus suum habent, sciens, eandem passionem ei, quæ in mundo est, fraternitati fieri, 1. Petr. 5. v. 9. nemo hinc immunis fuit, aut erit, quia calix tribulationis est, quem singulis propinat Dominus, ut respondeant ipsi, in potione Myrrhæ evacuandâ, & tamen neminem patitur tentari, supra id, quod potest, 1. Cor. 10. v. 13. Sicut enim alias omnia

creavit in numero, pondere & mensura, Sap. 11. v. 12. Sic & crucem demensus est, quanta oporteat quemque pro nomine ejus pati, Actor. 9. v. 16. Patienter igitur illam suscipientes, dicamus cum Augustino: Domine, hinc ure, hinc seca, & ibi parce. *Sols ja so seyn / daß Straff und Pein / auff Sünde folgen müssen / &c.*

Crux enim est

1. *Amoris tessera*, quos enim diligit Dominus, castigat, Hebr. 12. v. 6.
2. *Fidei coricula*, quâ fides nostra probatur, ut multo pretiosior sit auro quod perit, quod per ignem probatur, 1. Petr. 1. vers. 7.
3. *Pietatis illecebra*. Qui enim passus est in carne, desit à peccatis, 1. Petr. 4. v. 1. Sedulus est in oratione, & operam dat pietati, quæ ex ærumnosa hâc vitâ ad cœlestem gloriam pertingat, ubi nulla amplius tribulatio, angustia nulla: sed abundantia gaudiorum cum vultu Dei, & delectationes in dextera ejus in æternum, Psal. 16. v. 11. 1. Cor. 2. v. 9. Joh. 16. v. 22.

Ad hanc gloriam nos transferre dignetur Pater cœlestis, per JESUM Christum, Dominum & Servatorem nostrum, Amen.

